

cialibus nostris et imperii, qui pro tempore fuerint circa Nuremberg, Nordelingen vel Augustam, quatenus episcopum, capitulum et ecclesiam Eystetensem supradictos efficaciter manuteneant et defendant et non gravent vel perturbent in aliquo contra iura, privilegia, libertates et gratias ipsorum, nec permittant eisdem inferri per aliquem alium molestiam vel iacturam, ut sub nostro felici regimine temporalibus non destituantur auxiliis et salutaribus incrementis proficiat ecclesia sepepredicta. In cuius rei testimonium presentes litteras nostre maiestatis sigillo iussimus communiri.

Datum Constancie IIII^o Kalen. Iunii anno domini millesimo trecentesimo nono, regni^a vero nostri anno primo.

5.

1309 Juli 18 Rotenburg¹.

Nos Henricus dei gratia Romanorum rex semper augustus ad universorum sacri Romani imperii fidelium noticiam volumus pervenire, quod piis ac instantivis supplicationibus venerabilis fratris Philippi Eystetensis episcopi, principis nostri dilecti, favorabiliter annuentes ac disponentes suis ac suorum profectionibus et commodis salubriter providere, universis civibus et hominibus suis in civitate Eystetensi et in oppido dicto Berchingen habitantibus hanc motu liberalitatis regie gratiam duximus faciendam, quod extra muros civitatis et opidi^b predictorum super quacunque^c causa ad nullum iudicium possint trahi vel debeant evocari, quamdiu per iudicem suum querelantibus iusticia non fuerit denegata, presentibus ad nostre voluntatis beneplacitum duraturis. In cuius rei testimonium hanc litteram nostre maiestatis sigillo iussimus communiri.

Datum in Rotenburg^d XV. Kalend. Augusti anno domini millesimo trecentesimo nono^e, regni vero nostri anno primo.

a) Kopialb.: 'regno'. b) Kopialb.: 'oppidi'. c) Kopialb.: 'quacumque'. d) Kopialb.: 'Rotenburch'. e) Kop.: 'M^o CCC^o nono'.

1) Original im K. B. Allgem. Reichsarchiv zu München, von kleinem Format mit grossem Majestätssiegel am Pergstr. In dorso: 'Quod cives Eystetenses et in Perchingen non debeant trahi ad iudicia extra civitates eorum'. Kopialbuch fol. XXVIII. Rubrum: 'Rex Henricus ut cives Eystetenses et in Perchingen residentes extra muros civitatum suorum (sic!) ad alia iudicia non trahantur'.